

stri, victoriosissimo patre eorum domino Stephano illustri Rege Hungarie de medio sublato, in etate tenera constituti, regnum et subditos suos debito nequirent regimine gubernare, et exinde per hostes extraneos varie necessitates Regno, et per discordiam baronum inter se habitam iniuriarum acciones incolis eiusdem in ablacione possessionum imminerent: immunitati quorumlibet ex officio pietatis succurrere cupientes, Dammasa, Thome nobilibus de Werevch, filijs Mathye, in comitatu de Wereuche more nobilium terram tenentibus, duximus annuendum, ut terram Lusanch vocatam, prope fluuium Ilua existentem, ad eundem comitatum de Wereuche pertinentem, quam domina Maria socrus nostra pie memorie eisdem in concambium terre Bryzniche dedit cum vineis et omnibus pertinencijs suis ydem Damasa, Thomas filij Mathye antedicti ac heredes heredumque suorum successores perpetuo tenere valeant et eo modo possidere, ut si heredum solacio fuerint destituti, legandi, vendendi cuicunque voluerint ipsam terram liberam habeant vendendi facultatem, salvo in omnibus jure dominij principalis, eo, quod nobis et nostris successoribus reseruamus. De collectis autem marturinarum et alijs debitis populorum suorum nobis persolvendis, terciam recipiant porcionem. Concessimus insuper, ut ultra Drauam ad curiam domini Regis et ad nostram vel alterius iudicis cuiuscunque citati, nullatenus accedere teneantur, et quod persona extranea testes extraneos producere non possit contra ipsos. Mete autem ipsius terre hoc ordine distinguuntur, prima meta incipit ab oriente per tres arbores Byk vocatas de capite puteij Nepesch, iuxta terram magistri Egydy tendens uersus meridiem iuxta terras vyznicatus pervenit ad arborem Cerasij cruce signatam, et inde ad arborem Gyrtyan meta terrea circumfusam, inde pervenit ad fluuium Ilua et per ipsum fluuium tendit uersus occidentem, et de illo fluio exit directe ad arborem pomi meta terrea circumfusam, deinde tendit ad quemdam riululum in feneto, et per eundem riululum supra versus occidentem ad arborem Gyrtyan, sub qua est meta terrea, deinde ad arborem ficum cruce signatam, meta terrea circumfusam. Postea ascendit ad Byrch et per ipsam Byrch reflectitur ad septemtrionem et pervenit ad terram Jacoby filii Bethe, ubi est arbor yhor, meta terrea circumfusa, et ibi inter duas vineas pervenit ad arborem Cerasy cruce signatam. Inde tendens directe ad eandem plagam in monte usque ad magnam vineam Mathye antedicti, et inde tendit ad viam iuxta terram magistri Egydy et transiens per eandem, per metas terreas, pervenit ad tres arbores antedictas et metam memoratam, ibique terminatur. In cuius rei memoriam firmitatemque perpetuam presentes eisdem Damasa, Thome ad dictam possessionem, concessimus litteras dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus Magistri Gregorij Aule nostre fidelis Cancellarij, anno domini Millesimo ducentesimo septuagesimo quinto.